



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XVII. Innoc. III. a Oscan. N. Tirassonen. Episcopis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT XVI.

Idem ^a *Episcopo Paduano.*

Significasti nobis per litteras tuas, quod cum F. clericus cum Archipresbyt. Sancti Fiduncij equitaret, equus, cui infidebat, tam se, quam ipsum projecit in aquam. Inde clericus ipsum graviter calcariis stimulat: equus vero, ut litterarum tuarum tenor innovat, cum existeret bucca durus, præter voluntatem fessoris raptus in cursum, & malè parens habens, quandam mulierem, quam obviam habuit, ex improviso pedibus interfecit. Cumque nos ab eodem clerico fecissemus inquiri, utrum equi vitium prius scivisset, illud se asseruit ignorasse. Ideoque f. r. per A. f. m. quat. inquiras super his diligentius veritatem; & si rem inveneris taliter processisse, ad majorem cautelam injungas eidem clerico ^b penitentiam competentem, quæ peracta, nequaquam impedias, quominus in susceptis ministraret ordinibus, & ad majores valeat promoveri.

NOTÆ.

^a *Paduano.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo cap. 4. De Paduana Metropoli egi in cap. 7. de iudiciis.

^b *Penitentiam.*) Quæ pro homicidio casuali, & omnino involuntario imponi solet, juxta tradita supra in cap. de cetero.

Textum hunc exposui supra in cap. dilectus, & commentarium ejus dedi supra in cap. de cetero.

CAPUT XVII.

Innoc. III. ^a *Oscen. & N. Tirassonen. Episcopis.*

Petrus Diaconus, & monachus sancti Joannis ^b de Pinna, suam nobis insinuatione monstravit, quod cum ipsum in seculari adhuc habitu constitutum, in Ecclesia de Rigulo quoddam beneficium obtinentem N. Abbas ipse Ecclesiam illum eodem beneficio spoliasset, cognati, & amici ejus Abbati sapius supplicarunt, ut beneficium sibi restitueret memoratum: quo nolente ipsorum precibus acquiescere, irati plurimum, & commoti, nocte quadam in domo Diaconi convenere: & cœna facta dixerunt, quod vindictam volebant sumere de Abbate. Inhibiti autem expressè ab eodem Diacono, ne Abbatem occiderent, vel aliquid ei facerent, unde ordinis sui discrimen incurreret, & anima detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto, unde post dies ^c aliquot spiritum exhalavit. Ab illo autem tempore usque hodie prædictus Diaconus de eo, quod contigerat, tristis effectus, ab administratione cessavit: & nondum expleto biennio, habitum induit monachalem. Unde à nobis suppliciter petiit edoceri, utrum posset in officio diaconi ministrare; & si hoc ei liceret, an posset ad majorem ordinem promoveri. Licet autem (si præmissis veritas suffragatur) præfatus diaconus super Abbatis interitu non videatur fuisse culpabilis, quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscerè, ubi culpa non est, quod ab administratione officij se propria voluntate suspendit, vel habitum induit regularem, sibi non ad peccatum adscribimus, sed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus si præmissa noveritis veritate subnixâ, sæpèdictum Diaconum non solum in diaconatus officio ministrare, sed etiam ad ordinem presbyteratus ascendere, si aliud canonicum non obstiterit, liberam concedatis auctoritate Apostolica facultatem: præsertim si super hoc non fuerit rescriptus infamia, cum ei non debeat imputari, quod contra prohibitionem ejus expressam, eo causam, vel occasionem non dante, ausu sacrilego proponitur à consanguineis attentatum, divinam Scripturam testante, quod anima quæ peccaverit, ipsa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij; quamvis hoc ipsum verius ad æternam, quam ad temporalem referatur vindictam. Datum Reat. 2. nonas Augusti, Pont. nostri anno 1.

NOTÆ

NOTÆ.

^a *Idem.* In quarta collectione, sub hoc tit. cap. 2. tantum legitur *Idem*: sed literam & inscriptionem restituo ex ipso registro Innocentii III. correcto à Sirleto, ubi lib. 1. fol. 152. reperitur textus hic. De Osenfi & Tirassonenfi Ecclesia *egit in c. 1. de his qua vi.*
^b *Ioannis de Pinna.* Ita legendum est, de Pinna, non de Puna, ut legitur in hac sexta collectione, quod percelebre monasterium est in Regno Aragoniæ, ut retuli in c. cum olim de cens.
^c *Post dies aliquot.* Unde credebatur ex ea percussione obiisse, juxta ea quæ adduxi in can. 5. Concil. Illibert.

COMMENTARIUM.

I. Irregularitatem hanc ex homicidio contrahunt, non solum qui illud propria manu perpetrarunt, verum & qui consilium homicidio, aut mutilationi dedit, cap. perniciose, de pœnit. dist. 1. ubi præfens consilium, ut homicidium fiat, dicitur homicida. Probat textus in c. si quis viduam. 50. dist. cap. 2. de cleric. pugnans. cap. sicut dignum, §. qui vero, & §. ultimo, hoc tit. Quæ sententia accipienda est, dummodo homicidium, vel mutilatio re ipsa sequatur; & dum is, qui consilium accipit, reverà moveatur ex tali consilio, argumento legis non solum, §. si mandato, ff. de injuriis: vel saltem roboretur ejus voluntas, & animus augeatur, ut docent Abbas in cap. ad audientiam, hoc tit. & in cap. 1. de offic. deleg. Suarez de censur. dist. 44. sect. 3. Avila eodem tractat. 7. part. sect. 2. dub. 3. Sanchez libr. 1. in Decalog. cap. 10. num. 44. Gibalinus de irregul. cap. 4. consect. 11. fol. 140. Illud tamen dubitari solet, an si ille, qui consuluit homicidium, retractet consilium, & conetur homicidæ suadere, ut à tali homicidio recedat, & cum id assequi non posset, homicidium sequatur, maneat irregularis? Et irregularem eum non manere, communiter docetur, dummodo post prædictam retractationem, si eam non sufficere agnoverit, admoneat ipsum occidendum, in cujus perniciem consilium datum fuit, in genere; ne peccatum consulentis detegatur, ut post Navarr. cap. 27. num. 233. docet Suarez ubi supra. Gibalin. dist. cap. 4. consect. 12. Limitatur autem supra tradita doctrina, ut non procedat in Principibus, vel eorum Consiliariis legem concedentibus, vel eam rogantibus, in qua transgressoribus pœna mortis, vel mutilationis membri imponitur; non tunc non erunt irregulares judicandi, quia non imminer casus, propter quem similis lex conditur, etsi postea eveniat, ut transgressores capitali pœna afficiantur. Ratio est, quia in tali casu similes Consiliarii non animadvertunt in certam personam, sed tantum provident ut homines se abtineant à delictis. Pro qua sententia faciunt textus in cap. eos, ne clerici vel monachi, cap. final. 31. distinct. ubi docet Dominicus, Gemin. Diaz. in praxi crimin. cap. 61. num. 3. Archid. in cap. officia, 23. quest. 5. prædicatores Principum & eorum confectores horrantes illos generaliter, & indistinctè, ut justitiam faciant, malefactoresque puniant, si exinde moveantur, & aliquem pœna capitali afficiant, irregulares non fieri.

Etiam mandans homicidium fieri per alium, eo sequuto, irregularis manet, cap. sicut dignum, §. clericus, hoc tit. & apertè probatur ex cap. ultimo,

hoc tit. lib. 6. ubi jubens aliquem verberari, etsi expressè caveat, ne occidatur, tamen homicidio sequuto manet irregularis, propter homicidium saltem indirectè voluntarium. Ergo qui directè mandat homicidium fieri, sine dubio incurrit irregularitatem homicidii voluntarii, quia ille causa est homicidii: & qui per alium facit, perinde habetur, ac si per se ipsum faciat. Docent Suarez dist. disp. 44. sect. 3. Petrus Gregor. lib. 3. partit. tit. 18. cap. 6. Bronchorst. cent. 2. assert. 75. Manrique de different. utriusque fori, quest. 98. Gibalinus de censur. disquisit. 5. quest. 3. per totam. Quæ doctrina procedit etiam si fuerit mandatum tacitum de occidendo, veluti si injuriam passus dixerit alicui ex filijs, vel familiaribus: Non venias in domum meam donec aliquid novi audiam de te; ut docent Bartolus, Baldus, & Angelus in l. si quis mihi bona, §. sed quid si mandavero, ff. de acquir. heredit. Majolus lib. 5. de irregul. cap. 48. n. 8. Covarruv. in presenti, 2. part. §. 1. num. 13. Dubitari tamen merito solet, an jubens homicidium eviter irregularitatem revocando mandatum antequam homicidium fiat. Et dicendum est, irregularem eo casu non manere, etiam si non moneat ipsum occidendum. Ratio est, quia facta revocatione, qui dederat mandatum, non potest dici causa homicidii; nam qui illud commisit, ex sua voluntate potius, quàm ex mandato alterius illud perpetravit, ut docent Suarez. dist. sect. 3. Navarrus dicto capit. 27. num. 233. Ioannes Brunellus in cap. 1. hoc tit. num. 43. Candelabrum aureum 2. p. de irregul. §. 2. Suarez. dicta sect. 3. Similiter nec irregularis manet, qui homicidium ratum habuit, si consilium, aut mandatum non dedit, ut docent Suarez dist. sect. 3. Hurtado de irregul. difficult. 7. n. 25. Majolus dist. lib. 5. cap. 48. §. 5. quæ sententia apertè probatur primò ex eo, quia irregularitas non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, dist. cap. is qui, de sent. excom. lib. 6. & in jure Pontificio nunquam talis irregularitas statuta legitur: Ergo incurri non potest. Secundò, quia nemo irregularitatem ob homicidium contrahit, nisi illius causa fuerit aliquo modo: sed qui homicidium ratum habuit, non potest dici ejus causa: ergo irregularitatem non contrahit. Tandem facit, quia lex aliquem actum prohibens, nunquam comprehendit illum ratum habentem, nisi specialiter id in ea caveatur, ut in cap. cum quis, de sent. excom. lib. 6. cap. felicitis, eod. lib. Clement. 1. eod. tit. Ergo cum nullà canonicà sanctione eorum legamus, ratum habentem homicidium irregularem manere, non possunt aliæ sanctiones de homicida agentes ad ratum habentem homicidium extendi. Nec obstat, ratihibitionem mandato comparari, cap. ratihibitio de R. I. lib. 6. Nam respondendum est, eam regulam procedere in universum, quoties specifica decisio minimè desideratur, ut in præsentis casu contingit; tunc enim non valet argumentum à ratihibitione, quæ mandato per æquipollens, non in specie comparatur, nec idem est cum mandato, argumento legis melius, & legis qui herede, ff. de condit. & demonstr. §. ult. Unde licet irregularitas ex mandato contrahatur, non idem erit dicendum in ratihibitione. Deinde etiam quæri solet, an ad hoc, quod mandator incurrit irregularitatem, necessarium sit quod mandatarius acceptet mandatum; quia contingere potest, quod eo tempore, quo illi mandatur, dicat se nolle illud munus assumere, postea verò mutatà voluntate homicidium exequatur sine

sine novo jussu; immò potiùs contra voluntatem ipsius mandantis, si jam iram mutavit. In qua quaestione dicendum est, non esse necessariam acceptationem, & ita eo in casu mandantem manere irregularem, etiamsi nihil denud jusserit, vel si retractaverit voluntatem suam, dum sufficienter non revocaverit mandatum. Et ratio est, quia crimen, quod mandando commiserat, adhuc perseverat, & sic semper manet ex vi prioris mandati non revocati exhortatio in mandatario; unde licet à principio non confenserit, potest tamen ex vi prioris mandati moveri, & induci ad homicidium; & ita illud imputatur mandanti, dum mandatum non revocavit, ut docuerunt Innocent in d. cap. ad audientiam, hoc tit. Suarez dist. sect. 3. Majolus lib. 5. de irregular, cap. 48.

His præmissis, cum in præsentì casu Petrus, nec consilio, nec exhortatione homicidium fieri suffisset, aut illud fieri mandasset, immò potiùs inhibuisset ne Abbas læderetur, irregularitatem non contraxit, etsi ejus causâ homicidium perpetratum fuisset, ut de simonia in non dissimili casu probavi in c. per tuas, de simonia: quare illa verba hujus textus Concedas auctoritate Apostolica, potiùs referenda sunt ad declarationem, quam ad dispensationem. Si autem in præsentì casu, dum de occidendo Abbate, seu vulnerando in præsentia Petri agebatur, ipse taceat, sequitur homicidium, eum regularem manere docuerunt Gibalin. de irregul. c. 4. consuet. 14. fol. 155. Felinus in præsentì: qui alia dubia de suadentibus, vel non homicidium, proponit, & exponit.

CAPUT XVIII.

Idem ^a Abbati sanctæ Trinitatis de Maleleon.

Significasti nobis per literas tuas, quod cum quidam maleficus ingressus Ecclesiam de Brucio, Dei timore postposito, ^b Eucharistiam cum altarium ornamentis & libris ecclesiasticis extra Ecclesiam asportasset, dilectus filius Laurentius presbyter Ecclesie, lator præsentium, regularis Canonicus, quem in prædicta Ecclesia de Brucio institueras Capellanum, præfatum iniquitatis filium fossorio arrepto percussit: c sed si ad mortem fuit ictus hujusmodi, tu, & ipse penitus ignoratis. Cum autem parohiani Ecclesie memorata audirent prædictum maleficum ornamenta Ecclesie asportantem, ipsum arreptis gladiis, & sustibus in eodem loco protinus occiderunt. Prædictus verò Laurentius de sua salute præcogitans, evoluto anno, sub titulo confessionis rei ordinem tibi ^d revelavit, pro quo nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Licet autem contineatur in Canone, ^e quod si quatuor homines, aut quinque, vel plures contra hominem unum rixati fuerint, & ab his mortuus fuerit vulneratus, quicumque illorum ei plagam imposuerit, homicida, secundum statuta canonum, judicetur. Quia tamen in alio canone dicitur de presbytero, qui Diaconum equitantem percussit, & ipse cadens ex equo, cervice fracta interiit, quod si non ad mortem percussus est, incaute agenti presbytero competens poenitentia est indicenda, ita quod aliquanto tempore a Missarum suspensione solennis, de quo ad sacerdotale officium revertatur. Quod si veraciter quicumque percussione presbyteri mortuus est Diaconus, nullâ ratione more sacerdotis permittendus est ministrare, etiamsi voluntatem non ^g habuerit occidendi. Nos in præmissis calu credimus distinguendum, utrum constare possit, quod præfatus sacerdos non infligit percussione lethalem, de qua videlicet, si aliorum vulnera non fuissent subsecuta, percussus minimè interiisset: & si percussor voluntatem non habuerit occidendi, nec ipsius studio, vel ^h consilio, vel mandato processerint alii contra illum. Et quidem si hoc ita se habet (quod forsitan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta, tam modica, & tam levis, in ea corporis parte, in qua quis de levi percuti non solet i ad mortem, ut peritorum iudicio i medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis;) cum de cæteris credendum sit ipsi sacerdoti, qui non accusatur, vel denuntiatur ab aliquo, sed per se ipsum de sua salute sollicitus consilium appetit salutare; post poenitentiam eidem ad cautelam injunctam, in sacerdotali poterit officio ministrare, religionis accedente favore, cum sit canonicus regularis, & sine omni scandalo possit sacerdotale officium exercere. Quod si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi tunc sacerdos: & si forsitan homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet; cum in hoc casu cessare ^k sit tutius, quam temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum, timeatur. Utrum autem de illis sit simile sentiendum, quorum unus, sed quis, omninò nescitur, ^l homicidium perpetravit, si forsitan ad sacros ordines recipiendos præsententur, utrum omnes sint pariter repellendi, cum discerni non possit, qui debeant inculpabiles iudicari